



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

Quid Personius Romae. n. 26.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

vt de eo per suos suscipiendo regimine quam primum cogitaret. Pri-  
mus Rector fuit Pater *Alphonsus Agazarius* Senensis, homo diligens, &  
nostræ gentis perquam studiosus. Septem annis quibus præfuit, non  
modo interiorem animorum disciplinam ornauit, sed domum auxit ædi-  
ficijs & rebus: Nam *Gregorius* dum vixit in menses singulos trecen-  
tos aureos ex ærario suo persoluit; & donauit Abbatiam Sancti Sabini apud  
Placentinos, tria fere millia aureorum quotannis numerantem. Ita qui-  
bus artibus malus dæmon rem præclare inchoatam conabatur euertere,  
eas vertit Deus ad eandem stabiliendam, & in futuro tempore perpetuo  
confirmandam.

XXVI. Inter hæc *Personius* (decurfis studiis in eam domum Patrum  
translatus vbi penitentibus Pontificiâ cum Majestate aures dantur) non tam  
priuatim sibi, elucidandis præcipuis quæstionum vel ab hæreticis in discepta-  
tionem vocatis capitibus, vel quæ vlti esse possent ad præxim Sacerdotibus in  
Angliam mittendis, quàm publicis fidei Religionisquæ rationibus seruebat:  
cum quæ ad sedandam in nouo Seminario exortam tempestatem non parum  
consilio atque adhortatione valuisset apud ipsos iuuenes, tum etiam apud sum-  
mum Pontificem per Patres Benedictum Palmium & Fræscum Toletum; ad  
opus vniuersum corroborandum, amplificandūmq; duo in primis opportuna  
suggerit. Primum vt *Alanus* Rhemis Romam accerteretur, quò vtriusque Se-  
minarij rationes certius instituerentur, & cuius viri fama orbem peragrarè  
capisset, ab vrbe illustrior peruagaretur. Eratenim ille vir & animi magni-  
tudine, & scientiæ laudibus, & cultus diuini augendi cupiditate, & sapientia  
præstans; quas omnes virtutes cum ad Patriæ salutem eliminata hæresi propa-  
gandam conferret, multum is quidem poterat in Gallijs absens, at Romæ in  
luce orbis plurimum in futurum valiturus credebatur, idque inter primos  
Christiani nominis Principes cum penitus recognosceretur; quorum & in  
numerum deinde adlectus est, vt in loco dicetur. Inchoatis certè vtrouique  
Seminarijs illud commodi confestim attulit, vt concordibus animis ad ean-  
dem metam currentibus, alteri ab altero auxilium nasceretur, dum inde al-  
terioribus disciplinis instruendi, hinc magistri qui alios instruerent mitteren-  
tur: re etiam familiari Rhemensibus auctâ ex ærario Pontificio. Tum quo-  
niam ij qui liberalitate Pontificis & ex prouentibus Deo Sacris Romæ al-  
bantur, par erat vt nè aliò spectarent quàm quo is cui omnis illa viuendi atq;  
in scientijs proficiendi ratio debebatur, & firmitas quædam mentis opranda  
erat atque in capto semel cursu constantia, nè aut animus medio in iti-  
nere vacillaret dum nullis vinciretur nexibus, aut suo sine sumptus fru-  
strarentur impensu discedentibus ad priuata sua studia iis qui publicæ uti-  
litati educandi venerant, suadente *Personio* iuramentum in hanc formam  
propositum fuit vniuersis qui inter Alumnos Collegij censerent vellent.  
*Ego N. N. considerans quantis me Deus beneficijs affecerit. &c. Pro-*

H

mitto,

Quid Per-  
sonius  
Romæ.

Alanus Ro-  
mam voca-  
tur.

Iuramen-  
tum  
propositum  
Alumnis  
de vrbe.

1579. *me iuuate gratiâ) sacros ordines suo tempore recipere, & in Angliam reuerti, ut illic animas gentilium meorum conuertam, quando huius Collegij superiori videbitur in Domino mihi illud imperare.* Quâ iurisiurâdi Religione post mensium aliquot deliberationē susceptâ, duo conlequebantur: Nam actiones suas omnes & studia diuinissimo Charitatis in proximum sine ornabant, & liberū vnicuique, relinquebatur plures, si vellent, annos augendæ integritati & scientiæ tribuere, sub cuius ordinis sanctissima disciplina, quâ ad iuuandam quoque modo carissimâ Patriam redderentur aptiores. Hac verò animi Deo grati significandi voluntate accensis mētibus, & fideles se præstandi in promissis, feruebant mirum in modum studia pietatis & literarum, & vndique conquisitis spiritualibus armis munebant se Alumni ad futura certamina, siue argumentis dimicandum esset cum ijs qui hæresim verbo aut scripto iustinare se posse arbitrantur, siue in arenam descendendum cum eorum ducibus & defensoribus, qui morte proposita & pænis ac tormentis morte ipsa atrocioribus frangendos existimarent quos flectere posse desperabant. Fructus autē non ad vnā aliquam Prouinciā, sed ad omnē latē Angliam dimanabat, dum frequentes submitterentur qui ingentibus animis omnē cunctis benefaciendi ansā amplectebantur. Quod & *Alanum* mouit, vt vicem *Personio* repēdens, hunc Romā in Angliam cogitatione destinaret, quem sui Romam aduentus auctorem fuisse cognosceret.

Alanus de PP. Societatis in Angliam missione procuranda cogitat.

XXVII. Nam iniquum videbatur *Alano* discipulis in stadium atque in certamen concurrentibus, eodem non vocari eos quos Magistros atque incitatores habuissent. Quid enim? An existimandū est metu difficilem hanc Prouinciā refugere eos, qui ardua omnia amplectuntur & ambiunt? aut arcebit exiguus Oceani tractus, quos ingentia ad Orientem & Occidentem solem *Maria* non coercet? aut ijs non licebit Patriæ laboranti subuenire, quibus orbis vniuersus Patriā est, & afflictus quiuis prostratusque, est ciuis? vel aprior fortasse paratur gloria ad reconditas ignoratâque anterioribus sæculis gentes proficiat, quàm si quis notis succurrat, malo haud sane leuiore conspersus? At medicinæ perito prius quæ intra viscera serpunt spectanda sunt, quàm quæ foris circa cutem grassantur mala. Quis verò cum ædes suas flamma vorax infederit, ad alienum dissitumque, incendiū restinguendum volabit se neglecto? aut quis se Imperator signa omnia prudenter inferre arbitrabitur in longinquas terras qui potentem domi hostem sentiat ferro flammâque, cuncta depalcentem? sit sanè gloria eaque amplissima triennalia ad Indos itinera animi celsitate deuorare, aquarum infinitarum immensas voragines demetiri, immites fluctus contemnere, densissimis Ethnicorum tenebris aperire lucem fidei, Barbaro atque immani populo se vitamque suam projicere: fallor, si non hæresim parem iuueniet immanitate, obstinatione duriolem, quæ monstra, quosque fluctus exiguum equor non parturit, hos tellus dabit superandos; longinqua sint illa itinera, & euentis varia: At hic vix iter licebit ingredi, Licetor confestim à tergo: siste: Quis? Vnde, quo? ad vincula, ad carceres, ad necem,

Hac